



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

De potestate temporalis & spirituali: vbi de belli iustitia & iniustitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

etiam in anime iudicio. Eritque in foro iudiciali puniendus, secundum ea, que hac de re notavit Cepola de feris. in ff. pr. ad. de columbariis. & c. de venatione.

Quarto plane constat ex secunda conclusionem ratio, quare prohibeantur venatores, & alii quicunque balistis, similibusve instrumentis uti ad occidendas columbas, quae in libulve instrumentis nutriuntur. quod Capola tradit in d. c. priuatis columbariis nutritur. quod Capola tradit in d. c. de columbariis. Guido Papae. q. 218. Regia lex 22. facit ad idem titulum. 18. parte. 3. permissum tamen est quibuscumque, ut certo quodam spacio loci à columbariis remoti columbas occidere possint, idque spaciū iuxta decretum supremi senatus vnius liceat limitibus definitum est.

His vero, quae diximus, partim refragatur textus singularis in l. 3. item feris. ff. de acquirenda possess. quo in loco Iuriconsulti res pōdit, animalia inclusa viuariis & columbariis priuatis piscines in piscinā congregatos à domino fundi possideri, non sic pisces inclusos in stagnis, nec ferās in saltibus circūseptis degentes, & euagantes, nam haec à domino fundi minime possidentur. Ecce igitur qualiter nō omnino par ius sit in saltibus circūseptis, & stagnis, quod in viuariis, piscinā, & columbariis; atque ideo cum inter hęc ratio differētię, à Iuriconsulto constituitur, patet in his non esse hanc secundam conclusionem omninō constituendam. Huic autem objectioni primum respondetur, quoad dominium non esse discrimen vllum inter stagna, & saltus, piscinas, & viuaria: modo saltus & stagna vicunque logissimi spaciū sint, manu hominum, & priuata industria fuerint circumseptā, & fabricata. hancque sententiam olim Salmantice publice veram esse probare conatus fui, tametsi quo ad possessionem piscium, & ferarum in particulari, distinctio Iuriconsulti mihi maxime placeat. hancque arbitror esse illius responsi veram interpretationem, quam deduxi ab Accursio ibi, quem sequuntur Angel. Imol. Alex. & Docto. Accursio ibi, & prę ceteris Vincent. Herculi in §. Nerva filius. nu. 2. in ff. de i. 3. sed licet quo ad possessionem manifesta sit, ac certissima Iuriconsulti, & interpretum differentia, eaque ex litera illius responsi expressim constet, tamen adhuc, & quo ad dominium eandem esse differentiam admittendam à priori discedens sententia nunc opinor, propter rationem, qua Iuriconsultus, eiusque interpretes vtuntur. ea enim, quod pisces stagnorum & ferā in saltibus circumseptis enutrit, libertati naturali relictae sint. quae quidē ratio probat hos pisces, occupat. ferās non dū in vllius dominiū trāsisse, donec per occupationē capiuntur. oportet tamen cū discrimen constitutum sit à Iuriconsulto inter viuaria, & saltus, etiam circumseptos, piscinā & stagna, diligenter perspicere harum dictionū proprietatē, secundum quā Iuriconsulti responsū accipiendū est. Viuaria quidē dicuntur loci, quib. vel aues vel pisces, vel ferā continentur ad victū humanū, hominū quidem industria animalibus in ea loca immixtis, vt nutriantur, aliaque progredient adimentarum delicias, ex l. usufructarius venari. §. viuaris. ff. de usufructu. Plin. lib. 9. cap. 34. & lib. 8. cap. 52. dicuntur etiam viuaria apud Columellam lib. 8. cap. 1. loci, vbi memoribus clausis pecudes syluestres custodiuntur. Stagna dicuntur, quod temporale continent aquam inibi stagnantem, quae plerumque hyme coeunt, nec fluit, nec refluit. l. i. ff. vt in sum. public. nau. g. lic. Piscina vero est, in qua pisces humana industria mittuntur, vt ibidem nutriantur. Igitur quo ad dominium, & possessionem pisces piscinarum, & fere viuariorum pertinent ad dominium fundi, cui piscina, & viuarium accedunt, at pisces stagnorū, & ferę in memoribus circumseptis euagantes non sunt ipsius domini, nec quo ad possessionem, nec quo ad dominium, quoties saltus, vel stagna natura loci, arborū densitate, aut rupibus circumseptā sunt. Quod si fuerint circumseptā memora ipsa, & stagna, opera & industria hominum, tunc idē erit ac si pisces & ferā nihilominus relictae sint in naturali libertate. Sed si hominum opera ita sint animalia circūseptā, vt naturalis libertas earū ex hoc impedita sit, profecto non video qua ratione hęc ad agri dominium non pertineant. Nisi velis ad literā obseruare Iuriconsulti responsū in d. §. item feras. cuius hęc sunt pulchra verba: Item feras bestias, quas viuaris includerimus, & pisces, quos in piscinam coniecerimus, a nobis possideri. Sed eos pisces, qui in stagno sunt, aut feras, quae in syluestre circumseptis euagantur, a nobis non possideri, quoniam relictae in libertate naturali, alioqui etiam si quis syluam emerit, videri cum omnes feras possidere, quod falsum est. Hęc Iuriconsultus. Qui coniectionem piscium in piscinam, & conclusionem ferarum

in viuaris hominum industria, & opera facta, ne ferę vagari possint, exigit, vt earum possessio fundi domino competat, & acquiritā sit.

§. NONVS.

De potestate temporali & spiritali.

SUMMARI.

- 1 Princeps superiorem minime recognoscens ius habet indicendi bellum.
- 2 Iustum bellum non tantum dicitur ex auctoritate indicentis sed & causa.
- 3 Iustum bellum est, quod sit ad defensionem, vel vindictam, vel punitionem.
- 4 Rebello est iusta causa gerendi belli, & inibi traduntur alia iusta belli causa. & ibid. de repr. saluti.
- 5 Imperator, an sit totius mundi dominus, etiam quo ad protectionem? item an bellum & quibus indicere possit? & inibi quaedam de ecclesiastica Hierarchia, quo in loco quæstiones latissime disputantur. & nu. 6.
- 6 Potestas spiritalis, in quo à temporali differat? & idē de primatu Romano.
- 7 Summus pontifex an habeat temporalem iurisdictionem, in actu vel in habitu.
- 8 Intellectus. Bartolin l. 8. per hanc. ff. de rei vend. & dominiorum distinctio.
- 9 Reges Hispaniarum immunes, & liberi à Caesarum imperio.

Decimoquinto potissimū à principali regula procedit disputatio de restitutione rerum, quę à militibus bello capiuntur, quę necessario illam præmittit, quod sit bellum iustum, & quę ad belli iustitiam requirantur. Nec tamen hic de bello ita longe tractabimus vt videamur ex professo rem istam tractandam, & examinandā assumpsisse: sed obiter quę ad iustitiā belli attinent compendio quodā expediemus. Igitur præcipue ad belli iustitiam primo necessaria est auctoritas principis, qui bellū indicere possit. Priuatus etenim, qui superiorem habet, apud quem possit iniuriarū agere, resque proprias ab alio captas exigere, bellum gerere nequit, præsertim quod principi, cuius imperio subditus est, iniuriam facit si eo inuito, vel abique eius auctoritate bellum alteri indixerit. Habet autem ius indicendi bellum princeps, qui superiorem neminem habet in eius principatu, secundum Augustinum lib. 22. contra Faustum. c. 74. c. quid culpatur. 34. quæst. 1. Lidorus lib. 18. Etymologiarum. & c. 1. 23. q. 2. l. hostes. ff. de capti. & postlimin. reuers. l. hostes. ff. de verborum significat. idem adnotant diuus Thomas & Caietanus 2. 2. quæst. 40. art. 1. Innocentius in c. olim. in primo, de restitutione spoliato. idem & post alios Panormitanus in c. sicut. de iur. iur. nu. 7. gloss. & ibi Doct. in summa 23. quæst. 2. Bart. in d. l. hostes. nu. 14. ff. de capt. & est communis opinio apud eos, qui hanc materiam tractauerunt ac deducitur ex traditis per Hadrian. in 4. sentent. tract. de restitut. c. aggredior casus speciales. & Flor. 3. part. tit. 4. c. 1. §. 9. Syluest. in verb. bellum. 1. q. 1. Caietan. in 2. Tomo opuscul. quæst. vii. Maior. in quarta sentent. distincti. 15. q. 20. Alfonso à Castro lib. 2. de iust. a heret. puni. cap. 14. Card. à Turre cremata. in d. c. quid culpatur. Ioan. Andr. & Dd. in cap. 1. de homicid. lib. 6. Ioan. Lignianus in tract. de bello. c. 13. gl. Bart. 2. col. & post eum Iuniores in l. ex hoc iure. ff. de iust. & iure. Oldrad. cons. 70. Ioan. Eckius Homilia vii. Dominice terciae post Epiphaniam. ex quibus frequentiorum eorum sententia ad iustitiam belli non tantum est necessaria auctoritas eius, qui potest bellum indicere, sed & iusta indicendi belli causa, & præterea recta bellantium, & indicentium bellum intentio, vt sanè fiat, & bellū geratur animo propulsandi iniuriam à Republica, eidemque irrogatā vindicandi. Sed quia hæc vltima causa nō pertinet ad restitutionē captorum in bello, cum, & si desit recta bellantiū intentio, nihilominus capta in bello alioqui iusto, & indicato ab eo, qui indicere potuit, non ex hoc sunt restituenda. quod in specie notant Hadrian. in d. c. aggredior. Caietan. d. q. 14. art. 1. ad fin. Maior. in d. q. 20. vers. istis notatis, Syluest. in verb. bellū. q. 1. & Ioan. Eckius in d. homilia. vlt. col. 3. siquidem restitutionis obligatio nunquā oritur à praua capientis intentione, auctore Thom. 2. 2. q. 66. arg. 8. versic. ad primum. alias iustas belli causas persequemur, præter eam quę semper ad iustitiam belli publici necessaria est, auctoritas scilicet principis.

Inter alias belli causas, quę iustissime cenferi solent, illa est omnium probatissima, & ad quam fere omnes, quę tradi consueuere referri possunt, quod bellum fiat ad defensionē reipublicę, ne ea à tyranno per vim opprimatur, itē ad defensionem proprii imperij, & prouinciarū ad id pertinentiū, quasi fiat ad defensionem personarum, & rerum d. c. olim. in primo de restitut. spoliato, l. vt vim ff. de iustitia & iure. c. 2. de homicid. l. furem. ff. ad leg. Corn. de sicar. l. itaque. ff. ad legem Aquil. l. 3. tit. 8. parte. 7. atque hanc esse iustam belli causam fatentur

Thomas & precipitati Doctor, qui & idem esse censent, quoties bellum geritur ad vindicandam iniuriam iniquissime illatam: quorum sententia probatur auctoritate Augustini, lib. 5. quest. 10. super Iosue, iusta, inquit, bella solent definiri, quæ vlciscuntur iniurias ad idem facit, quod scribit post Azoné gloss. in I. nullus. C. de iuda. asseuerans, etiam priuati posse iniuriam sibi factam vlcisci propria auctoritate, quoties ei permissum non est, nec suppetit facultas vocandi offensorem ad iudicium, vt per iudicem is cogatur iniuriam compensare, & satisfacere iniuriam passio, cuius gl. meminere Fel. in d. c. 2. de homicid. Pan. in c. 1. de iudic. n. 33. Alex. & Ias. in l. miles. §. qui iudicatus. ff. de re iud. tametsi in priuato Azo in summa eam opinionem intelligat veram esse, modo vindicta fiat absq; occisione, & percussione offensoris, quod quidem moderamē in principe, qui superiorē nō habet, minime procedit. His accedit glo. in c. ius gentium. 1. dist. cuius ipse mentionem fecit in l. 1. variat. resol. c. 1. ad fin. ex quibus constant duæ causæ iustæ ad bellum indicendum. Etenim bellū iustū vel est defensiuū, vel vindictiuū. Defensiuum vero, etiā priuatis licet absque auctoritate superioris, vel principis, cum ad defensionē ipsa iuris naturalis lex auctoritatem præstet. d. l. vi. vim. qua ratione hæc defensionis causa maxime iustificat bellum publicum, quodque publica auctoritate fit, tametsi iudein & absque ea ex legis naturalis auctoritate possit bellū publicū ad defensionem geri, quod satis manifestum est.

4. Tertia proponitur belli causa, contumacia seu rebellio inique reculantem Imperium, cum subditi aduersus principem insurgunt, nec volunt ei obedire, etsi fuerint ab illo sepe admoniti. hæc probatur, quia grauis iniuria Deo, & principi fit, si eius imperio subditi resistant. ad Rom. c. 13. itaq; inquit Paulus, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sic David rex bellum mouit aduersus Seba filium Bochri, propterea quod populum sollicitauit, vt à Dauide rege ad ipsum desereret. 2. Regum. cap. 20. vnde & August. d. lib. 22. contra Faustum, c. 74. ait. aduersus violentiā resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarū ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere aliquid tale, vel in talibus obedire iuste ipse ordo constringit, e. quid culpatur. 23. q. 1. ide August. q. 10. super Iosue lib. 6. q. 1. inquit, iusta bella solent definiri, quæ vlciscuntur iniurias, sic gens, vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatū est. c. dominus. 23. q. 2. Hoc ipsum constat ex Aristot. lib. 7. Polit. c. 14. ad fin. vbi bellum iustum esse censet, vt in seruitutem redigantur, quos seruire oportet, & vt his, qui seruitute digni sunt, legitime dominemur. Idem Aristot. dixerat 1. Polit. c. 5. ex nostris Innocent. communiter receptus in d. cap. olim. in 1. de rescriptis. spoliat. hanc esse iustam belli causam opinatur, tametsi existimet potius esse executionem iurisdictionis, & punitionem rebellium in hoc casu, quam bellum. & ideo captos in eo non effici seruos capientium, quod maxime est obseruandum. Nam & idem optime adnotauit Ioann. à Terra Rubca in tract. contra rebelles. 3. par. art. 10. concl. 13. qui hanc tertiam iustam belli causam etiam tradit ex l. amissione. §. qui deficiunt. ff. de capi. diminu. l. si quis ingenuam. §. in ciuilib. ff. de capti.

Quarta causa huc referri poterit, cum bellum iustissime indicitur ad repetendas res, quæ per violentiam ab hoste detinentur, & hæc constat ex Augustino in precipitati locis & 2. Reg. c. 2. vbi David mortuo Saule bellū gessit contra Ioboth filium Saulis, qui occupare nitebatur regnū Israel, quod Dominus per Samuelem Prophetam tradiderat Dauidi. Suntque passim hæc de re innumera exempla, cū apud fideles, tum apud Ethnicos, qui bella acriter gessere ad repetendas proprias res, quas alioqui repetere absque iure belli minime potuissent. Arma, inquit apud Lucanum Cesar, tenenti omnia dat, qui iusta negat. Vnde & hæc causa ad præcedentes pertinet, cum sit vindictio iniuriæ, quæ eo illatæ quod res propriæ inuito domino detineantur.

Quinta etiam ex ratione iniuriæ illatæ traditur iusta belli causa, cum quis alium impedit, ne per aliquam prouinciam transeat, etiam propriam impediens, modo transitus ille innoxius futurus sit. Etenim licitum est tunc bellum impediens mouere. Nam cum transitus innoxius, qui iure humanæ societatis debetur, negatus fuerint, iuste neganti bellum infertur.

Quam quidē causam probat historia sacra Numerorū cap. 21. que in loco scriptū est, filios Israel pugnasse contra Seon

& Og, Reges Amorihæorū, propterea quod illis permittere noluerunt transitū innoxium in terrā sibi à Deo promissam, qua de re diuus Augustinus lib. 4. q. c. 44. super Numeros, inquit: Notandū est sane, quemadmodū iusta bella gerantur, innoxius enim transitus negabatur, qui iare humane societatis equissimo parere debebat. refertur à Gratiano in c. 1. C. de Paganis. Ias. in l. ex hoc iure. 2. col. ff. de iust. & iure. Albertinus in rubr. heret. in 6. q. 8. n. 12. ad has fere causas plures alia reducuntur, quas præcitati Docto. & præsertim doctissimus Alfonso à Castr. in d. l. 2. c. 14. diligenter congesse.

Hinc deniq; obseruandū est, quid de Repraesaliis, vt vulgari dictione vtat, iure respondendū sit. Nā summus pontifex in c. 1. de iniur. l. 6. eas non omnino licitas esse insinuat, cum asseuerat à iure naturali, & diuino aliquantum distare, prius tamē illud præfari oportet, apud veteres morē ac legē fuisse verustissimā quidē, quæ sancitū erat in hunc sane modū, si quis violenta morte obierit, pro hoc gentilibus, & cognatis Androlepsie sunt, quo ad iudiciū sceleris, pœnaliter subierint: vel necis authores dederint. Androlepsia vero ad tres vsq; nec eo amplius esto. huius legis meminit Demosthenes in oratione aduersus Aristocratē, qui sensit Androlepsia ista lege permissam esse contra eos apud quos cetera facta fuerat. Iulius vero Pollux eā permissam fuisse scribit contra eos qui homicidam profugum susceperint, nec eum petentibus dederint, nec ad crimis poenam, nec ad vindictam, nec ipsi iuste punierint. vnde moris antiquissimi fuit, vt qui homicidium perpetrasset, si cum in extremam urbē profugisset, ad poenā ex postulatū nō dederentur, nisi ad quos facinus admissum, vltio pertinebat, nō dederentur nisi ad quos facinus admissum, vltio pertinebat, quam Androlepsiam Græci vocant. meminit huiusce rei Budeus in annotationibus ad Ias. facta. §. euentus. ff. de penis. qui in loco scribit, quæ vulgo barbare dicimus Repraesalias, Latine dici possit pignorationes, quemadmodū & eas appellat summus pontifex in d. l. de iniuriis in 6. vel Clarigationes, vt visum est Hermolan. Ad hunc etenim modū repraesalix quoties permittuntur, vt si qua ex gente latrones, aut pyræ, vel quicunq; alij homicidia, rapinas, aliaue scelera perpetraverint, iniuriā damnumve intulerint, nec iniuriā damnumve passi potuerint eius obtinere vindictā, aut iustitiam consequi apud eam resp. publicā, cui scelera aut iustitiam subiiciuntur, & quæ eos susceperit, tunc liceat iniuriam passis pignorationibus vt aduersus illius reipublicæ homines, cuius moris iustitia cōmuni omnium consensu deducitur ab auctoritate Augustini q. 10. super Iosue. quem Gratianus retulit in d. c. dominus. 34. q. 2. cuiusdem & nos paulo ante meminimus. is enim inquit, sic gens, vel ciuitas plectenda est, quæ vendicare neglexerit, quod à suis improbe factū est. ide Regia l. 4. tit. 7. par. 5. vnde pignorationes istæ licitæ censentur iuxta quorundā opinionē, quæ late examinarunt Anchar. Dominicus. Franciscus, & Iacob de Canibus in relectione. c. 1. de iniur. in 6. Bar. in tract. de repraesaliis. Fel. & Salic. in auth. omnino. C. de act. & oblig. Innocent. in c. olim. de rescriptis. Iacob. de Bello visu in aubr. vt non fiant pignorationes. Spueit. verb. repraesalia. quorum rationibus late perpenis, præsertim his, quæ latius cæteris Iacobus de Canibus tradit, ego consensio, non aliter repraesalias licitas fore, quam eodem modo, quo bellum licitum iure naturali, & diuino, atq; humanum censetur. Nam à iustitia belli ad repraesalium argumentantur fere omnes, & maxime auctoritate diuina Augustini vtuntur, vnde omnino requiritur auctoritas eius principis, qui bellum indicere potest: & præterea causa illa, quæ secundum Augustinum, iustum bellum efficere solet: nempe quod illa resp. publicā, aduersus quam indicuntur pignorationes istæ, neglexerit vindicare, quod à suis improbe factum fuerit.

Hinc ni fallor, manifestum est, quod plerique hanc questionem disputantes probare conantur: nempe repraesalias istas, seu Clarigationes non esse licitas, quo ad offensionem personarum innocentium, & qui nullam culpam damni illati contraxerunt, quasi permissum sit, alium pro culpa alterius puniri in rebus, non tamen personis: quod alibi à nobis disputatum est. etenim, cum istæ pignorationes ad similitudinem iusti belli ex Augustino permittantur: sicuti in bello iusto non licet principali intentione, & opere innocentes occidere, licet feminas inquam, nec infantes, nec tamen per accidens, scilicet cum aliquod oppidum machinis, ignibus, & tormentis concutitur: id liquidum

natura belli dicitur, cum aliter geri non possit, sic in his clari-
ficationibus publica & iusta iudicis auctoritate, non licet
principali intentione personas innocentiū offendere, eos
occidendo aut percutiendo, quamvis liceat bona eorum ca-
pere, permittit tamen conditio rei, quod ex accidenti occi-
dantur & percutiuntur innocentes, si quidem aliter pig-
norationes legitime indicata non possint per milites exer-
ceri, nec per eos, qui ius publicum pignorandi habent, quia
innocentes se & sua defendunt, vel civitas, quae causa pig-
norationis impeditur, aliter capi non potest. hanc sane opi-
nionem esse huius controversiae breuem resolutionem, caetera
possunt à praecitatis auctoribus longius peti.

Ceterum non est hic praetermittendum, quod Imperator
Christianorum, iure valeat bellum indicare infidelibus, ex
eo quod eidem totius orbis domino, & omnium in propheta-
nis, & temporalibus principi parere reculant, obedientiam,
quam ei praestare, & exhibere tenentur, per se negantes,
vel ex eo, quod infideles idola colant, aut contra legem na-
turae multa scelera committant, vel religioni Christianae ad-
versentur? cuius quaestiones examini praeferenda est vera,
an fallor, etiam si maxime sit controversa conclusio.

Imperator utique sit legitime electus, & per summum
pontificem confirmationis corona insignitus, nec quo ad
dominū, nec quo ad iurisdictionem, aut protectionem, totius
orbis dominus est, sed eius tantum partis, quae Rom subdita
fuit imperio. probatur haec conclusio ipsius iuris humani, ac
Caesari responsis. primo in l. mercatores. C. de commerc. & mercator
dum inquit Caesar, tam Imperio nostro quam Persarum regi-
bus subiectos, quo in loco fatetur Imperator, Regem Persiarū
non esse subditum Rom. Imperatori, & habere eum sibi
subiectos homines, qui Imperio Rom. minime subiecti fore-
rent. ad idem l. 2. C. de vet. iure. enuclean. l. 1. Cod. de offi. praef. Afric. & l.
postulatum. in prin. ff. de captivis. ubi. in ex nos. & omnes liberos, populos,
regesque marium & legibus constitutum, ubi mentio fit populorum,
qui liberi essent ab Imperio Romano. liberi autem hi dicitur,
qui nullius alterius potestati subiecti sunt, atque in ea
specie populus liber is dicitur, qui subditus non est Roma-
nae ditioni. non dubito, ff. de capt. & postlim. reuer. ut hinc manife-
ste pateat error eorum, qui dicta Iuriconsultorum respon-
sa ad factum non ad ius referunt, quasi voluerint Iuricon-
sulti libertatem illam Persarum à Romano Imperio inu-
sissimam fuisse, & de facto potius quod de iure obtinuisse.
Nam legislatores nunquam de facto, sed de iure responde-
re solent. J. mora in prin. de vsu. q. lin. c. consultat. oni. de tpo. ord.
nec licet profecto ita temerarie legū verba interpretari, ut
ead vim, & iniuriā potius quā ad ius referatur, unde respō-
sionē & d. d. interpretationē, opinor satis futile, & leuē esse.

Secundo probatur eadem conclusio in l. 1. C. de sum. Timitat.
ambus. ff. ad Trebell. l. vlt. C. de edif. priua, quib. in locis quoties
mentio fit Imperatoriae & Romanae iurisdictionis, relatio
dirigitur & tendit in eos, qui sub Romano Imperio sunt,
Quasi expressim inibi concessum sit, esse in orbe innume-
ras nationes, quae liberae sint à Romanorum & Caesarum
Imperio, & iurisdictione, potestate ueve.
Tertio, ut alia omittam, paucis enim huius conclusionis
veritas constat, licet longe, lateque fuerit à quibusdam disputa-
ta, multis ad hanc controversiam adductis, quae vel parum
virgeant, vel falsa sint, perstringam fortius huius assertionis
probationem. Etenim si Imperator quo ad iurisdictionem
dominus est totius, & vniuersi orbis, id non alia ratione
contingit, quā quod haec potestas à natura ipsa, vel lege di-
uina, aut humana, vel à Christi vicario, maximoque pontifice
tradita fuerit, nullum autem ius ex his, Caesari, aut Impera-
tori vniuersi orbis iurisdictionē tribuit, igitur Imperator
non est totius orbis dominus. Consequens satis euidenter
constat. Maior vero pater: quia principibus non potest alio
iure competere in inferiores imperium, quam aliquo ex su-
perius nominatis. Nec enim hic de populorum consensu
tractamus, cū de eo minime appareat, nec natura ipsa pos-
sit ab vniuersi orbis populis praestari, & praeterea, quia res
satis nota absque vlla probatione, quod populus liber possit
principi sibi elgere, & constituere, cui seipsum submittat.
minor vero probationis & collectionis pars sequētibz in-
feruntur. Natura siquidē ipsa instituta non est, quod vniuer-
sus orbis vni principē subditus sit, quod à rei difficultate de-
ducitur, auctor est Arist. l. 7. Politic. c. 4. difficile esse, fieri non
posse, ut praeparis legibus regatur nimum celebritas civitas nume-
rus inquit, immetus, nec descriptione vlla, nec ordine co-

tineri potest. Quod si ciuitatem ciuium multitudine fre-
quentē existimat Aristoteles difficillime administrari pos-
se naturali ratione, multo profecto difficilius vniuersi or-
bis ab vno rectore, & principe regi poterit.

Praeterea si à natura institutum foret: vniuersi orbis vni
esse principem, aliquando ab initio mundi ab vno principe
fuisse vniuersi orbis rectus, & administratus, quod nun-
quam contigit: id etenim quod à natura institutum est in iu-
re, praesertim adeo frequenti, etiam si quandoque ex homi-
num malitia, & hominū vitio infringatur, & violetur, ali-
cubi tamen & quandoque sicut lumme naturali cognitum
est, ita & eadem lege seruatum extat.

Ad idem facit insignis diui Hieronymi locus, qui solet ad
probationem contrariae opinionis induci, ex epistola ad
Rusticū monachum de viuendi forma. c. in ap. bus. 7. q. 1. & est
locus is primo Epistoliarum Tomo in haec verba: In apibus princeps
vnus est: & graues vnā sequuntur ordine literato, Impera-
tor vnus, iudex vnus prouincia. Sic etenim legitur apud
Gratianum. At apud ipsum Hieronymum ita scriptum est:
In apibus principes sunt. Graues vnā sequuntur ordine literato, &c. Nam
etsi naturae consonū sit, quod cuiuslibet familiae, & cuiuslibet
Reipublicae vnū caput constituatur, sitque vnus re-
ctor: non tamen ita conuenit rationi naturali, quod omnium
familiarum, omnium ciuitatum, & rerum publicarū vnus
sit princeps. Nec enim omnium apum vnus, & idem est rex,
nec omnes mundi graues vnā sequuntur. Vnde palam est
Diui Hieronymi locum huic opinioni, quam probamus,
omnino suffragari, & temere pro cōtraria parte adduci. His
accedit, quod si naturali iure totius vniuersi orbis vnus es-
set princeps, huic teneretur omnes lege naturae subesse, &
obedire: nec posset quisquam ab eius imperio liber esse vll-
la temporis etiam longissimi praescriptione, nec vlla ex alia
causa, quae ab ipso iure naturali non procederet, & quae ipsi
iura naturalia derogaret, cum iura naturalia immutabilia
sint. Et tamen sunt in orbe principes, qui Imperatori & Ce-
sari vtrunque maximo non submittantur, imo iustissime ab
eo immunes, & liberi sunt: quod statim probabitur: ergo
iure naturali, & ab ipsa natura nō est Imperatori concessa
totius orbis iurisdictione, nec cōueniens foret, ut eam vnus
princeps haberet ob difficillimam Reip. administrationē.

Ex diuino iure plura testimonia ab his, qui tenuerūt con-
traria sententiā, citantur, quibus minime probatur ea opi-
nio, & primo, dū Luca 22 scriptū est: Ecce duo gladij: hic etenim
nō significatur, quod vnus princeps, & sic Imperator sit à
Deo vniuerso orbi in temporalibus constitutus, sed quod sint
duae potestates in orbe: vna spiritalis, altera temporalis, si-
cuti & Genesis 1. fecit Deus duo luminaria magna, luminare
maius, & luminare minus. Quem locū Romanus pontifex
in c. solita. de maioribz. & obed. rem illā pertretans ita interpreta-
tur, ut etiam Dei institutionem referat, ad duas dignitates,
pontificalē quidē & regalem, id est, spiritalē potestatem &
temporalem, quod satis ibidē exponitur. Nec temporalem
potestatem expressit pontifex sub nomine Imperatoris, sed
regis, non quod sit aequalis potestas regia potestati Impera-
toriae, nam Imperator dignitate regem praecellit, sed quia &
rex potest habere eandē temporalem potestatem, sicut Impera-
tor. Idem probat Romanus pontifex eleganter, dum in
eodem capite scribit, Imperatorem potestatem temporalem,
& praecellentem habere, ac in ea praecellere illos duntaxat,
quia ab eo suscipiunt temporalia. igitur est pontificis sum-
mi auctoritas, quae probat, Imperatorem non esse totius, &
vniuersi orbis monarcham.

Secundo adducitur ex lege diuina locus cap. 2. Luca, Exiit,
inquit, edictum à Caesare Augusto, ut describeretur vniuer-
sus orbis, à quo conantur colligere partis contrariae defen-
sores, Caesarem Augustum lege diuina habuisse principatū
in vniuersum orbem, sed quantum valeat istaec collectio
ipso viderint. Ego vero non arbitror inibi probari eorum
sententiā, quia Euangelista historia refert, verissimam qui-
dem, & quod eo anno contigit, enarrauit: non tamen refert
dominum redemptorem humani generis Iesum Christum
edictum illud auctoritate diuina stabilisse. Praesertim quod
etsi edictum illud diuina auctoritate probaretur, non exiit
in vniuersum orbem, quemadmodū falso argumentantur
quidam, sed in vniuersum orbem Romanum, & in eam or-
bis partem, quae Romano Imperio suberat. siquidem certis-
simum est edictū illud in Persas, Parthos, & Indos minime
exiisse, cū hi tunc ditionis Romanae non foret. Eadem ratione
inscru-

interpretatio constat ad l. de precatio. ff. ad l. Rhodi. de iact. l. bene à Zeyone. C. de quadrien. prescrip. & alias mille Iuriconsultorum, & legum latorum auctoritates, si qua sunt, quibus palam scriptum sit. Imperatorem dominum mundi esse. Nam id intelligendum est, quo ad eum mundi partem, quæ Romano Imperio suberat. Neq; enim diuus Antonius, cuius epistola à Iuriconsulto refertur in d. l. de precatio. cum asseruit & professus est se esse mundi dominum, & de vniuerso orbe intellexit, quatenus is Indos, Parthos, & Persas, Tartaros, aliaq; tunc incognitas ad occidentem, & meridiem gentes, & prouincias continebat. mera quidem insania est hunc sensum Imperatoris responso aptare; qui ab eo omnino alienus est, sed de ea parte mundi intellexit, quæ eius Imperio subdita erat. sic & orbis Romanus apud Marcellinum l. 16. & Spartianum, ac Lampridium dicitur ea mundi pars, quæ ad Romanam ditionem pertinet, atq; ita probari, & legendum fore apud Iuriconsultum in l. in orbe Romano. ff. de statu. homi. cōtendit Andr. Alciatus lib. 2. diffinitio. c. 21. Nam & Aegæsius lib. 2. de exadio Hierosolymitano c. 12. de Christiana lege inquit. Nec vlla natio Romani orbis remansit, quæ cultus eius expertus relinqueretur. idem c. 9. dixerat, cum orbem iam Romanum Iesu discipuli repleuerint, qui ibidem scribit orbem terrarū, orbem Romanum appellari, quia fere omnes gentes Romanis suberant. His accedit, quod Diuus Augustinus scribit lib. 2. de consensu Euangelist. c. 25. asseuerans ciuitatem Romanam dici vniuersum regnum in tot ciuitatibus constitutum. tradit alia Brissonius lib. de verborum significatio. dictione Roma Sic & illud Danielis c. 2. ad Nabuchodonosor, tu rex regum es, & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiarum agri, volucres quoq; cæli, dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit, non sunt referenda ad vniuersi orbis principatum, nec imperium, sed ad reges, principes, & prouincias, quæ Chaldæorum imperio parebāt. Nam reliquæ mundi gentes, & prouinciæ minime suberant imperio Nabuchodonosor secundum Nicolai Lyranii & doctissimi morum, ac catholicorum virorum interpretationē. Quibus mire suffragatur Hieronymus in Esaiam c. 13. Medorum, inquit, atq; Persarum describitur impetus, quod multis secum auxiliis cōgregatis, domino eorum exercitū precedente ad vastitatem veniant Babylonis, & Chaldæorum, vt disperdat omnem terram: non quod totum orbem vastauerint: sed omnem terram Babylonis, & Chaldæorum. Idioma est enim sacra scriptura, vt omnem terram illius significet prouinciæ de qua sermo est: quod quidam non intelligentes ad omnium terrarum subuersionem trahunt. hæc Hieronymus.

Tertio à iure diuino proferuntur ad constituendā vniuersi orbis iurisdictionem in ipso Imperatore testimonia plura, quibus videtur Iesum Christum Romanorum, & Cæsarem imperium veluti iustissimum probasse, qualia sunt, quæ sunt Cæsaris, reddite Cæsari, Luc. 20. Matth. 22. Marc. 12. & illud: Non haberes potest. aduers. me vllam, nisi tibi datum esset desuper, Ioan. c. 19. verum hæc duo loca præterquam, quod penitentiorem sensum habent, ad questionem istam vniuersi orbis, eiusq; iurisdictionis Cæsari conuenientis parum vrgent. Nam dum Iesus humani generis redemptor censum iussit reddi Cæsari, sub persona, & nomine Cæsaris quem libet iustum principem, & reipublicæ rectorem intellexit, cui tributum & censum dari censuit, ac præcepit, vt rem principi debitam in mercedem, & stipendium laboris per principē impensū circa cōmunitatis, & reipublicæ administrationem; quemadmodū explicat diuus Paulus ad Roma. c. 13. nō tamen ex hoc Christus approbavit, istudve esse definiuit imperiū Cæsaris, qui forsitan tyrannide potius, quā iure rempublicam occuparet, sed tandem vt conuenit, sit, etiā si cōstitutum Romanorum imperium iustissimum fuisse, ac Deum ob eorum egregias virtutes permisisse in mercedem temporalem imperium illud augeri, quod probare nituntur Diuus Augustinus de ciuit. l. 5. c. 12. & 15. Diuus Thomas l. 3. de regim. princip. latissime Anton. de Rosellis in tract. de concil. fol. 96. non inde apparet iusta fuisse Cæsarem imperia, quorum plures ita per iniuriam, & tyrannidem rempublicam sunt adepti, vt nihil vnquam iniurii & iniqui excogitari poterit. Quod si & illud fateri quisquam velit, nō tantū Romanæ reipublice imperium iustissimum fuisse, sed & Cæsarem principatum non tyrannide, sed iure obtinuisse, profecto apparet, nec populū Romanum, nec Cæsarem, vniuersi orbis imperium, & iurisdictionem habuisse: nec enim populus Romanus habuit

imperium in Indos, nec in eas nationes, quæ nunc ad occidentem & meridiē à nostris sunt maximis laboribus, Deo vt etiam si concedamus Iesum Christum, Romanorum, & Cæsaris imperium probasse, ac iustissimum esse definiuissimum, quæ quidem probatio ad ea pertinet, quæ tunc Romanorū principes obtinebant, non quidem ad alia, quæ nec iustis titulis, nec vlla occupatione acquisierant, alienaque à Romano principe omnino erant.

Alter autem locus Ioan. 19. quauis in hunc sensum accipiendus sit, illud quidem dicitur, principum potestatem à Deo derivari, & ab ipsa diuina maiestate principibus concedi, Prouerbiorum c. 8. per me Reges regnant. & ad Roman. cap. 13. non est potestas nisi à Deo. non tamen inde constat, à Deo vniuersi principis imperio totum orbē subditum fuisse. Ecce igitur quam parum cōducant diuinarum scripturarū testimonia ad comprobationem eius opinionis, quæ asseuerat, Imperium totius & vniuersi orbis dominum esse, inq; vniuersum orbem Imperium & iurisdictionem habere.

Quarto ratione quadā à iure diuino in fauorē contrariæ conclusionis ita quidem argumētatur, in hunc sane modum, iure diuino vtraq; potestas spiritualis, & temporalis inuicem est, potestas vero spiritualis quo ad totū, & vniuersum orbē lege diuina ab ipso saluatore vni tantū cōmissa est, ergo & temporalis eodem iure vni principi est delegata. Hæc vero argumentatio maxime peccat, cum dispar sit vtriusq; potestatis ius, quantum ad hoc: siquidem tota & suprema potestas ecclesiastica atq; spiritualis nō est immediate in tota re publica Christiana, sed data est à Deo immediate eadem certæ personæ, nempe Petro, & eius successoribus, qui primatum obtinent in ecclesiastica republica, & quibus immediate à Christo potestas iurisdictionis data est supra totam ipsam reipublicam Christianam: quod latissime probatur Card. à Turre Cremat. l. 2. de ecclesia. cap. 38. 39. 40. & 54. cum sequentibus, Caiet. in opusculo de primatu. Roman. eccles. alijq; viri Catholicici, & doctissimi, qui hæc ætate de primatu Petri scriperunt præsertim Ioannes Eckius lib. de primatu. Petri, & Albertus Pighius lib. 3. & 4. de ecclesiastica. Hierarch. patet hoc ipsum, vlti. Patece oues meas. Nam quod refertur à Gratiano in c. nouo. 21. distincti. ex Anacleto Epistola 2. ad Episcopos Italie, Apostolos scilicet parem cum Petro à Christo honorem, & potestatem in vniuersum orbem ac cepisse, eosque Petrum sibi principem elegisse, minime his refragatur: etenim iuxta traditionem Apostoli parem ab ipso domino Iesu cum Petro potestatem ordinis, & iurisdictionis acceperit, ita quidem, vt quilibet Apostolorum æqualem cum Petro haberet potestatem ab ipso Deo in totū orbē, & ad omnes actus quos Petrus agere poterat. Ioan. 20. Accipite Spiritū sanctū, quorū remiseritis peccata, remittentur eis: quorū retinueritis, retenta erunt, & c. 18. apud Matthæum: Quæcunq; ligaueritis super terram, ligata erunt & in cælis. Vnde Apostoli à Christo Iesu potestatem dimitendi peccata & iurisdictionem ad discernendas iudiciarias causas acceperunt. Sed tamen eā potestatem habuerūt. Porro, vt eorum capiti subordinatā, & subiectā. Petro autē ab ipso Deo habuit supremā illā potestatem, & præcellentē supra omnes alios Apostolos, tanquā eorū princeps ab eis institutione, & Iesu Christi electione. Reputis immediatā, deniq; & Petri primatū ex diuina institutione profertentibus ad eius vsum sedulo admittis, quæ quidem præcellens potestas super omnes alios Apostolos nulli alteri Apostolorū data fuit, & ideo eorum potestas in hunc sensum à Petro derivatur, licet à Christo fuerit eis data. Sic deniq; est intelligenda Anacleti responsio, quemadmodū præcitati Doctor. frequentiori suffragio adnotarunt. & Io. Mayor. in 4. sent. dist. 24. q. 3. Io. Lup. de reg. Nauar. 2. part. 6. 7. Solutio de benefice. 1. part. q. 4. ex quibus apparet potestatem à Christo Iesu quo ad spiritualia datam fuisse Petro, vt principi, & ceteris Apostolis, immediate quidem, sed tamen subordinatam dispositioni Petri Apostolorū principis, atq; ita aliorum Apostolorū potestatem hæc ex parte dici derivatam fuisse à Petro, eoque mediatore patam à Christo Iesu. sic inquit Anacleus c. sacrosancti. 22. distincti. inter beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, & ipsi inter se valuerunt id ipsum, vt reliquis omnibus præficeret Apostolis. Scrofaneta enim Rom. & Apostolica ecclesia, non ab Apostolis, sed ad ipso Domino & saluatore nostro primatum

